

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

D.Friderico Myconio Philippus Melanchthon S.D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

bonum principem & salutarem patriæ & Ecclesiæ, quæ est alicra & uerior patria, imaginem Dei esse in terris. Econtrà uerò, malum principem, & perniciosum Ecclesiæ, & imaginem diaboli esse, grassantis in genus humanū horribili sauitia. Maxime igitur opto, ut ita aliquando gubernes patriam, ut omnes boni te uelut imaginem Dei ament. Id autem ut consequaris, necesse est ut eruditione te instruas, et ad uirtutem te exscites ac assuefacias. Et quoniã ad hæc opus est auxilia Dei: precor Deū, ut te seruet & regat, ut sis tibi ac uniuersæ Reipublice salutaris. Bene uale, illustrissimè Princeps.

D. Friderico Myconio Philippus
Melancthon S. D.

III, 107.

Venerande domine Pastor. Scimus harum regionū urbes, hospitia esse Ecclesiæ Dei: ut erat uiduæ Sareptanæ domus, cum Eliam excepiisset. Ideo secundis & aduersis rebus urbium, in his regionibus adfici nos decet. Ac in primis animaduertimus, ciuitatem Gotham eximia pietate fouere Ecclesiã & literas, & dulcem ibi concordiam esse gubernatorum Ecclesiæ & Senatus: multumq; prodesse ceteris Thuringicis oppidis ad pietatem, & ad concordiam, exemplum Ecclesiæ Gothanæ. Quare et singularis beneuolentia est nostra erga oppidum uestrum, & magno dolore nunc propter ciuiū detrimenta

trimenta adfocimur, quibus domicilia & multe res
 domesticae perierunt. Tuo etiam dolore mouemur,
 quem scimus assiduo conspectu miseriarum crucia-
 ri. Nec tamen dubitamus, quin ijs te consolationibus
 erigas, quae in Euangelio nobis traditae sunt. Multa
 sunt etiam Ecclesiae peccata, propter quae castiga-
 tur: sed non accendit Deus totam iram suam aduer-
 sus nos. Ideo misericordiae suae in ira recordatur. Vi-
 dit Esaias inflammari multa oppida à Sannache-
 rib: uidit Ierentias ipsam urbem Hierosolyman &
 templum incendio deleri: & tamen sciebat non de-
 leri Ecclesiam. Hac consolatione nos quoque susten-
 temus. Et quidem hic annus exemplum memorabile
 ostendit uastationis regionum & Ecclesiarum, cuius
 coryphaeus est N. sed Deus eum repressit. Interim
 uero ne securi laxemus nobis frenos, & uos & nos
 atque alij multi castigamur alijs mitioribus poenis.
 His commonefieri nos de nostris peccatis, poeniten-
 tia, frugalitate, inuocatione Dei sciamus. Denique
 consideremus, ut in Ecclesia, causam omnium cala-
 mitatum humani generis esse uoluntatem Dei: ha-
 rum rerum cogitatione & tibi & alijs dolorem le-
 nias. Ut igitur ostenderemus nostram beniuolen-
 tiam erga Ecclesiam uestram, misit Academia ue-
 stris pauperibus centum florenos. Id exiguum mu-
 nus ut boni consulatis, oramus. Scitis enim medio-
 cres difficultates esse, propter quas haec officia sunt
 angustiora

angustiora apud eos, qui liberalitatem exercere cis
piunt. Bene uale.

Clarissimo uiro, D. Paulo Ebero, fratri
suo charissimo, *ἡ δὲ συμφιλοσόφῳ,*
S. D.

I 137.

Philosophiam apum tibi mitto, cuius conside-
ratio & ipso melle dulcior, & illustre testimoniū
est, hunc mundum non exitisse casu, ex Democriti
atomis. Inuocemus igitur uerum illum architectum
pulcherrimorum naturæ operum, & Ecclesiæ con-
ditorem, patrem æternum Domini nostri Iesu Chri-
sti, ut & Ecclesiæ suæ alueolos & nostra examina
defendat & seruet. Meus magister, qui me de api-
bus docet, te orat, ut mecum in ipsam Academiam
apum uenias. Iosepho dialecticas pagellas mitto: &
puto paginam, quam habet in manibus, compleri
posse *ἢ ποτὶ θύρω*. Da operam, ut totū opus reliquū
condiatur illecebris: ut sicut apiculæ melissæ inui-
tantur, ita nos iuuentutem inuitemus suauibus ma-
terijs. Scriptū ad Bohemos absoluā intra biduū: de-
inde Synodi refutationem inchoabo. Deceui enim
testimonia in hac *ἰσχυρά* certaminum edere, de
rebus ueris & necessarijs, Deo iuuante, uel si iam
tyranni ferirent meam ceruicem. nec me deterret
amici nostri Ioachimi solitudo: cui quidē opto ut
sit beatus, & tranquillitate studiorum fruatur. Nos
si